

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Epitome libri quinti

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1242)

EPITOME

LIBRI QUINTI LIVIANI

IN obsidione Veiorum hibernacula militibus facta sunt. Ea res quum esset nova, indignationem tribunorum plebis movit, querentium non dari plebi nec per hiemem militiae requiem. Equites tum primum equis suis merere coeperunt. Quum inundatio ex lacu Albano facta esset, vates, qui eam rem interpretaretur, de hostibus captus est. Furius Camillus dictator decem annos obsessos Veios cepit: simulacrum Junonis Romam transtulit: decimam partem praedae Delphos Apollini misit. Idem tribunus militum, quum Faliscos obsiderat, proditos hostium filios parentibus remisit: statimque deditione facta, Faliscorum victoriam justitia consecutus est. Quum alter ex censoribus C. Julius decessisset, in locum ejus M. Cornelius subsecutus est. Nec id postea

factum est : quoniam eo lustro a Gallis Roma capta est. Furius Camillus, quum ei dies a L. Apuleio tribuno plebis dicta esset, in exsilium abiit. Quum Senones Galli Clusium obsiderent, & legati, a senatu missi ad componendam inter eos & Clusinos pacem, pugnantes contra Gallos in acie Clusinorum stetissent; hoc facto eorum concitati Senones urbem infesto exercitu petierunt, fusisque ad Alliam flumen Romanis, cepere urbem præter Capitolium, in quod se juvenus contulerat : majores natu, cum insignibus honorum, quos quisque gesserat, in vestibulis ædium sedentes, occiderunt. Et quum per aversam partem Capitolii jam in summum evasissent, proditi clangore auferum, M. Manlii præcipue opera dejecti sunt. Coactis deinde propter famem Romanis descendere, ut mille pondo auri darent, & hoc pretio finem obsidionis

emerent, *Furius Camillus*, dictator absens creatus, inter pendendum aurum cum exercitu venit, & Gallos post sextum mensem urbe expulit, ceciditque. *Ædes Aio* Loquutio facta, quo loco ante urbem captam vox audita erat, adventare Gallos. Dicitur est, ad *Veios* migrandum esse propter incensam & dirutam urbem, quod consilium *Camillo* auctore discussum est. Movit populum vocis quoque omer ex centurione auditæ, qui, quum in forum venisset, manipulariis suis dixerat, *Sta miles* : hic optime manebimus.